olim G G. 45. H.

Roberti Wak

feldi sacrarum literarū pro-
fessoris eximij, regijq; sacella-
ni Paraphrasis in librū Ko
heleth (quem vulgo
Ecclesiasten vocāt)
succincta, cla-
ra atq; fide-
lis, & quā
tū
permittit idioma sanctum,
ipsi litere hebraice
inherens

BIBLIOTHE... ROBI...

¶ Iste sententie parenetice et hij ser-
mones actus ac admonitorii et increpatorii siue obiurgatorii sūt koheleth filii dauid, regis Ierusalaim, hoc ē, salomonis qui se ita hoc in libro et parabolarū capite tricesimo id est, congregatorē nominauit, ppterea quod non cetū tantū et ecclesiam congregauerit, ob quod a septuaginta interpretibus dictus est Ecclesiastes (idest, vt Hieronymus transtulit, concionator, q̄ ecclesiam allequitur et conuocat populū atq; ipsum erudit et docet) sed et opes, sapientiā plurimā, scientiam, atq; multorum opiniones et sententias.

Titulus libri.

Aghur, id est, congregator.

¶ Caput. i.

IN rebus mortaliū atq; huius seculi (iuxta sententiā Salomonis qui hic se nominat, hoc est, collectorē sententiarū, variarūq; opinionū) nihil firmū, nihil stabile, nihil diuturnū, et perpetuū: sed oīa, valde incerta, vana, fluxa, fragilia, breuia, atq; caduca sunt, et ceu vapor fumi inania, euanescunt atq; in nihilū redigūtur. Dic enim queso, quid homini perpetuo manet, et quid mercedis, lucri, ac cōmodi secum ad sepulchrū ferat de vniuerso suo in hac vita labore quo se sub sole exercuit ac defatigauit? Porro in terra stabili et que secundū substantiam imeternum consistat, mira omnium rerū est vicissitudo et inconstātia. Nam modo habitur vna etas, modo alia aduentat, sicut et sol modo oritur, modo occidit, modo ad meridiem tendit, modo flectitur ad aquilonem. Idem a suo motore agitatus vniuersum circuit orbem, et ad locum sui ortus respiciens ac anhelans ipsumq; desyderans solito suo circuitu redit ad illum, illic iterū splendens. Ad hec torrentes et fluuius omnia ad mare pergunt et in idipsū influunt ac intrant ab eoq; absorbentur, nec tamē ipsum ob id mare insatiabile adimpletur aut redundat, alueiq; sui partes ac limites suos transcendit ac egreditur. Nihil enim non subsistit, sed quēadmodū eunt ad mare, ita contra, ab eodem remissa per occultas terre venas et ignotos meatus a matrice abysso recedunt, atq; ad loca sua fontium q; capita (vnde super terram fluere ceperant) sub montibus recurrunt et reuertuntur, inq; sua semper ebulliunt principia, vt iterum ad mare veniant inq; matricem abyssum (vnde subsiterāt) introeant atq; denuo sabiq; in

Uniuersa vanitas est oīs homo viuens psalmo. 38.

Celū et terra trāsibūt. Mat. 24. Licet secundū imaginē et formā, vel non secundū substantiā. 1. Petri. cap. 3.

Cur tam frequēti fluuiū accessu mare non fit maius aut copiosius? Respōsio Salomonis ad hoc hēt in textu.

Mirabile ac miraculū nō cōis nature cursū atq; ordo de mari cur trā tot nō coopiat? vide cap. 8. libri. Iob. et Iosephum de Sacro bo-

terminibꝰ fluant. Plane oēs res earūq; naturas adeo difficiles ac laboriosas esse constat, vt difficultatē illarū nullus hominum vllis verbis queat explicare. Oculus cū hominꝰ videndo nunq; saciatur, sicut nec auris audiendo saturatur. Nihil vnq; in rerū naturalium natura fuit, quod idem specie non sit futurū. Nihil vnq; sub sole factū est quod idem non siet. Potest ne quis dicere, ecce hoc sub sole in natura nouum est? minime. Siquidem, quicquid in presentia est, iam olim ante fuit eis que nos precesserunt etatibus. Et non est priorum (quia funditus periere) recordatio, sed nec posteriorum erit memoria cū his conferantur que erunt postrema & futura sunt in nouissimo. Ego ipse Koheleth (hoc est coaceruator et collector variarū opinionū et sententiarum) fui rex Israel, in Jerusalaim manēs, & animū meū applicui ad perquirendas, inuestigandas atq; considerandas per sapientiam et scientiam quam acquisiui, omniū rerū causas et rationes quecunq; fiunt sub ipso celo, et hoc quidem cū malum ac molestum illud studium natiuū et ingenitum, atq; ab ipso deo immortali, vniuerso generi humano datum in quo videlicet ipse se ēxq; exerceret, torqueret et affligeret. Nihil vnq; sub sole factū fuit quod ipse non vidi atq; considerauī. Et quicquid vidi aut asperi, hoc totū inane fluxūq; fuit, atq; animū haud mediocriter afflixit. In rebus enim humanis, que curua sunt, peruersa et iniqua, & recta restitui nequeunt set que ad earum perfectionē desiderantur, tot sūt vt numerari non possint. Equidē apud me ipsum hec tacite cum locutus. Ecce excellui ingenio, prestitiq; sapientia omnibus quicunq; ante me fuerunt in Hierusalem: mente preterea mea, plurimū, cū scientie tū sapiētie cōpletus sum, totus denique fui in illo, vt nō modo scientiam & sapientiam, sed errores quoq; ac insanias hominū atq; stulticiam aīo comprehēderē atq; in his etiam haud mediocrem sensi animi afflictionem, cōfractionem ac cruciatum. Nam, qui sapientie plurimū adeptus fuerit, is fere ad iram prouocatur, et qui scientiam suam auxerit, is augebit sibi & laborem.

Caput. ii.

IGitur ego mihi ipsi dixi, age iam tentabo te, periculūq; tui faciam in letitia et gaudio ac deliciis, atq; te frui cogam bonis, et hec quoq; cito inanis

esse vidi, fluxaq; iudicauī. Siquidem risum expertus sum esse stultū quid ac insanū, vtpote fletu sulpiciq; mixtū ac corruptū. Et leticie etiam dixi: ād tu hoc quoq; facis, vt nihil stabilis cōmodi aut veri tecū afferas, sed luctū tandem atq; dolorem: Mecū itaq; ipse consultans, apud me tandē decreui, corpus meū vino et cōuiuiis longo tempore explere, vitamq; meam delitiis tradere, at interim mens mea me ducit ad sapientiam acquirendam, & stulticie voluptatisq; mūdi huius nōnihil attingere atq; sectari: tantisper, donec probarem ac viderē vbinam esset bonū, quidq; ex illis vtile factu mortalibus foret, atq; appetendū omnibus his diebus quibus in era viuunt. Facta certe et opera mea non vulgaria sed per se magna, magni quo q; feci, eaq; extuli. Edes enim excelsas & magnificas extruxi, vineasq; mihi plātaui, hortos etiam atq; paradisos omni genere fructiferarū arborum consitos mihi parauī: piscinas, item & aqueductus, quibus syluam arbores producentem irrigarem, mihi construxi, seruos & ancillas comparaui, vernaculiq; quoq; mihi non defuere: armentorum preterea et ouium atq; caprarum gregibus, omnes qui ante me in Jerusalaim fuerūt lōge superaui. Collegi etiam argētū et aurū atq; pciosa quoq; vtpote gemmas, ac eiusmodi que regibus solis, et certis quibusdam prouinciis earumq; dominis peculiaria solent esse: cantores item et cantatrices (animi caussa) mihi parauī, vt et instrumenta musica que shidda ac shiddoth vocantur, quibus se oblectant homines, & que eis in delitiis esse solent. Potentia, diuitiis, omnibus denicq; bonis adeo creui et auctus fui vt ī illis facile omnes qui me ī Jerusalaim antecesserunt ac in ea habitarunt, longo post me interuallo relinquerem. Ad hec, sapientia qua illis quoq; prestiti, mecū et ipsa permansit: mihiq; in omnibus auxilio fuit. Porro oculis meis nihil quod desiderauerunt quo delectarentur, subtraxi: nec animū meum ab vlla leticia cohibui. Is enim omnibus sese laboribus meis oblectauit, et hanc solam mercedem et partem meam esse duxi omnium laborū quos in hac vita sustinui. Cum omnia facta & opera que labore manuū mearū confecta fuerant cum intuitus, et reliqua etiam oia in quibus perficiendis sudaui: nihil tandem non inane fluxumq; & afflictione spiritus plenū esse vidi. Non est (mihi crede) in terra quicq; permanens. Conuerti itaq; me et an-

mū totum ad sapientiam simul et errores et opiniones atq̄ ad insipientiam intuendam contuli. Quis enim ille homo est qui sequi potest deū omnium regem qui ante fecit eū, condidit ac creauit et sapientiam puram solum possidet atq; veritatem clare perspicit? Deprehendi tandem ego sapientiā stultitie tanto antecellere, quanto lux antecedit tenebris, tantumq̄ inter illas esse discrimen, quantū interest inter diem et noctem. Nam sapiens oculos suos in suo ipsius capite ac fronte possidet, et mentem habens erectam imposterum sibi prospicit, atq̄ ex initio rei finem eius cognoscit. At stultus intellectu cecutiēs est, et iccirco in tenebris (veluti ceus) semper versatur, a in rerum ignorantia volutans, presentia solum conspexerat. Noui tamen ego unum et eundem utriq; futurum euentum, et similem ac equalem illis esse destinatum vite sue exitum. Tum dixi apud me cogitauiq̄, si idem euentus stulto continget qui et mihi, similisq; nos manebit interitus, quid tunc ipse sapientie studio addictior fui, et quid mea mihi proderit sapientia, qua ceteris prestiti? Ob id profecto mecum tacite locutus sum cogitauiq; q̄ hoc sapientie studium etiam inane quid, fluxum, vanum atq; callum esset. Nam nec sapientis et docti, nec insipientis et indocti memoria perpetuo manebit, quoniam quod ante fuit, temporis tractu totum oblitioni datum est, et quod iam est et quod est futurum, venturis futurisq̄ temporibus obliterabitur. Nec adhuc tamē satis mirari queo, qui fit, vt sapiens cuius memoria cum laudibus est, perinde ac insipiens interiat, morteq; cum eo cōmunem habeat, cū res videatur multū iniqua. Ipsa itaq̄ vita mihi odio fuit, a ipsius me tedebat atq̄ pigebat, nihil enim sub sole factum est quod mihi non displicuit, eo quod hoc totum nihil a. fi inane quid atq̄ fluxum esset et quod animū vehementer affligeret. Tedebat insuper me laboris mei omnis quo me in terra exercui et afflixi, propterea quod homini mihi successuro ipsum relinquerem, ignorans, sapiens ne an insipiens sit futurus heres ipse, qui laboribus meis, quibus in terra me exercui miserēq; cruciaui, et in q̄bus sapiens, solers, inductrius atq̄ peritus fui, vt dominus fruerer. Atq̄ hoc quoq; iniquū q̄d inane, callū, miserq̄ ac vanū est. Et iccirco mutata sententia me cōuerti, effecique vt animus meus desperaret de oi labore quē in terra exercui, atq̄ ipsū negligeret ac ab eo cessaret, mens

ꝯ mea curis liberaretur. Aliꝯ enī aut (vt nos anglice dicim⁹) vnus, fobelē nō habēs atq; ita mozīēs, assidue īcumbit sapientie, scientieq; studijs, et in illis atq; pcūtātia et operum excellentia operā gnauiter nauauit, hoī autem cuius gratia nihil laborauit, eiq; qui nihil vnquā hic laborīs insumpsit, sua oīa relinquet. Plane hoc etiā inane cineq; fructu ac stultū ḡd est et magna miseria. Quid enim vtilitatis est hoī ex oī labore suo quo sub sole fatigatur, quidq; pdest sua cuiq; in eo afflictio animi? nihil profecto, nisi q dies vite sue omnes molesti sint, et dolorīs ac erumne pleni, et ira atq; indignatione plenū sit eius negociū: ita vt ne nocte quidē ob diuturnū labozē ꝯ meditationes suas alio suo quiescat, quod sine dubio inane quid est, casū et miserū. Homini igitur in rebus humanis inter tam varias solicitudines ac curas et molestias, tot miserias ꝯcalamitates ꝯrumnas, anguſtias, spectacuras huius mundi, nihil boni est nisi vt genio indulgens comedat ac bibat et sibi ipsi ex parte laboze suo benefaciat, animoq; ex illis satisfaciat suo. Et tamen hoc quoq; intelligi dei donū esse eiusq; tantū permissione fieri. Quis enī sine ipso, ꝯ si ipse nō concesserit comedere? Et quis ad bibendū ac genio indulgendū properabit, si ipse (deus videlicet) denegauerit? Certe homini qui deo placet atq; illi charus est, largitur ipse sapientiam, scientiam et letitiam. Peccatozi vero sollicitudinem dat, curam et afflictionem: facitq; vt diuitias congreget ac colligat, non sibi sed alteri, qui deo gratus est illiq; placet, atq; reuera bonus est et non in speciem sicut hypocrita. Mōne, ꝯ hoc, inane, iniquūq; est atq; graue animi cruciatus?

Sine illo, hēnt. 7e interpretes ac Hieronym. ꝯ nō, Preter me, sicut Targū, R. Salo. Aben Hezra, Hieronym⁹ in vulgata editiōe, hebzeiq; codices recentiozes, q̄ hic corrupti sunt, vt puto, et rotūda figura super ים nobis significat codicū discrepātiā.

Caput.iii.

Omnium cuiq; rei tēpus constitutū est, nec quicq; in rebus moztaliū sub sole agitur cui suū nō est tēp⁹ prescriptū. Omniū enī rerū vicissitudo ē ꝯ tēp⁹ q̄ ḡs nascat, atq; quo idē moziat, tēpus vt plātet, tēpus vt vel idē vel alter euellat quod est plātatū. Tēpus q̄ occidat, tēp⁹ quo sanet, tēp⁹ q̄ destruat, tēp⁹ q̄ edificet, tēpus q̄ fleat, tēp⁹ quo rideat, tēpus q̄ lugeat, tēpus quo saltet, tēp⁹ quo demolīatur et proiiciat atq; dispergat lapidēs, tempus quo construat et ipsos cōgreget. Tēpus quo brozem ducat et amplexetur, tempus quo celebs sit et ab amplexibus abstineat, tēpus quo querat ꝯ acquirat, tēpus quo pdat ac amittat, tēp⁹ quo seruet custodiat, tēp⁹ quo pdigat atq; pticiat, tēp⁹ quo sciat,

Musica in luctu importuna narratio. Ecclesiastici. cap. 22.

Quecūq; igitur intempestiuius fiunt, valde dedecēt ac lozdent.

Mala ex tempore pē
dent etiā ea suspē
se sunt, hec Ecclesi
astes.

lacereat et dissumpat, tempus quo reſartiat et consuat: tem
pus quo taceat, tempus quo loquatur: tempus quo amet, tē
pus quo odiat: tempus belli, tempus pacis. Quid (cū omnia
suo labantur tempore, atq; eo mutentur) vltra oportunum
tempus habet homo plus operator cōmodi aut fructus ex ope
re suo in quo ipse laborat, ale exercet? Sane sub sole nihil eſt
in terra stabile. Vidi exercitiū et studium deprehendi quod
deus mortalibus dedit, eorūq; animis inseruit ac inseruiplit
que se exercerent atq; distruciarent. Quicquid fecit, et pul
chrum fecit et bonum atq; decorū, in tempore loco q; suo: se
culum etiā, mūdūq; ipsum totū, et eius naturam atq; illius
scientiam mortalium animis exposuit contemplandā atq;
perpendendam: ita tamen vt nullius in eo perfectam ratio
nē ac cauſſam inuenirent opis dei, aut plenā ac clarā noticiā
haberent: per speculum enim vident et in enigmate. Et
1. Corinth. 13 cognoui q; mortalibus qui diuitiis et opibus congerendis
assidue inhiant, nihil in hac vita boni sit nisi vt letentur, et
animo minime conſſernato sint: presentemq; capiant volup
tatem et sibi indulgeant in vita sua ex his que labore suo
comparauerunt. Imo quicunq; comederit et biberit, atq;
ex labore suo fructum perceperit, hoc donū a deo habet. Pō
terea noui quod quicquid fecerit deus, illud stabile eſt et per
petuo duraturum. Illi, non licebit mortalibus quicq; adde
re, neq; ab eo quicq; detrahere: fecit tamen idem ipse vt que
creauit timerent ad conspectum eius, et mores naturamq;
suam ad eius imperiū immutarent. Quicquid vnq; fuit, hoc
iam nunc eſt atq; permanet: et quicquid futurū eſt, idem ante
extitit. Et deus (cuius omne opus iurta viā vnam fit) ipse
querit et curat quod eſt presens, reuocatq; quod eſt fugatum
ac preteritum. Ad hec, in terra vidi tribunal iudicū, et locū
vbi eſſe deberent iudicia et iuſticia: et ibi erant iniuria, iniqui
tas et iniuſticia. Mecū itaq; locutus sum et cogitaui, iuſtū pa
riter et iniuſtū olim iudicabit deus: quoniam tēpus oī nego
cio et rei oī quā cupieris, atq; operi quod ab homine in eo
fit, statutū eſt. Propterea cogitaui de hominibus vt eis decla
raret et notum faceret deus, ipsiq; viderēt q; ipsi sibi mutuo
pecudes sunt. Nam talia mortalibus eueniunt qualia pe
cudibus ac ipsis brutis animantibus: imo vnus idemq; illis
accidit euentus, et moriuntur illi sicut et ista: vnusq; citra
discrimen illis spiritus eſt, et de hominibus potē mortem

nihil omnino magis quam de iumentis superest, in nullo ipsis iunc præstant. Mandoquidem quod in vtroq; eorū est, totum euanescit atq; perit, et ad locū vnum pergit: de ipso namq; terre puluere originem sumpsit, et in illum ipsum ac humum, totū reuertitur atq; resoluitur. Et quis inter mortales est, qui nesciat differentiam inter spiritum et aiam hominum ac iumentorū, huiusq; dubie rei esse potest asserator, vel sciat an ipse hominis spiritus ascendat sursum in celum, aut an iumenti spiritus in terram deorsum descendat, et cum corpore soluatur diffūdatur q; tanq; mollis aer et nemo profecto. Quare tandem inter hec oia animaduerti, mortali et huic qui cogitat q; est sicut iumentū, nihil in hac vita melius esse quam letari cum et sine solicitudine fructū capere de suis ipsius bonis suo labore acquisitis, genioq; in dulgere: hoc enim homo p; sua mercede in reb⁹ hūanis habet, solum sibi consessum habet, vt in presentia fructū sentiat laboris sui nec enim aliis relinquat. Nam quis eum quantumuis hoc cupiat ad huiusmodi scientiam adducet, aut efficiet, vt id videat quod post ipsum erit, atq; quid de suis rebus ac laboribus post mortem continget.

Caput.4.

Rursum ad me redii mecq; ipse ad alia conuerti, et violentas detētiones q; sub sole fiūt, oēs vidi. Ecce lachrimātur q; res vi ab eis detinētur, nec tamen quisq; est q; eos consoletur et de manu illorum qui eis vi inferunt et iniuriam, resq; illorum vi retinent, liberet: propterea quod potentes sunt. Tum cepi hoc apud me animaduertens, ipse illos magis laudare felicioresq; predicare quos occupauit mors, et qui iam mortui sunt, q; qui viuūt et adhuc supersunt, et rapinis, oppressionibus, violentiis, iniuriis, calumpnijs, atq; ceteris miseriis ac ezumnis sunt obnoxii. Sed et ambobus his, meliorem et beatiorem predicaui, et vtriusq; preferendum duri, qui non dum natus est, nec adhuc fuit: propterea q; huic nihil istorum maleficiorum et scelerum que homines in hoies atq; sub sole perpetrantur, aliqua ex parte sit notum atq; visum. Preterea omnem humanum laborem simul et otium operū mortalium presentiam ipse diligenter cum inuitus, ibiq; vnum quemq; alii adroq; amico et socio suo vbi semper inuidentē:

Crines⁹ cinis et corpus nostrum. Ecclesiastic. cap.

et hoc quoq; inane est et animi afflictio. Ipse stulto9 qui pigr
est nec pro victu laborat, conficrat et complicat manꝰ suas,
et carnē proximam vorare cogitat, dicēs: Melior est impletio
vnius manus cum quiete, trāquillitate et otio, quā vtriusq;
cum negocio et animi anxietate atq; molestia. Rursum me
verti, et alium sub sole vanitatem deprehendi, hominem
videlicet solum cui nec filius nec frater nec cognatus aut
affinis erat, et is tamen nullum laborandi finem facit, neq;
vnq̄ laborare desinit nec oculi eius diuitijs saturātur, nec
vnq̄ cogitat sibi vel dicit, cui laboro et cur me ipsum bonis
fraudo? nonne et hoc inane quid est, stultū et miserum negocium? Duo igitur vni prestant, et melius est vt duo simul
laborent, est enim vtriq; laboris sui merces bona. Nam si
ceciderint, alter alterum sublevabit sortiq̄ suum eriget,
ve autem illi qui solus est, cum enim ceciderit, alter non est
qui suppetias ferat vt surgat atq; a malis liberet. Ad hec
si duo dormierint, alter alterum calefaciet et calor illis
ambobus erit: at qui solus est, egre calefiet. Preterea si
alterutri fortiꝰ virius prevaluerit quispiā, ambo tamē simul
facile resistent et: et duo funiculi aduersus eum stare
possunt, filum autem triplex non facile nec cito rumpetur.
Melius est pauper et sapiens puer quam rex stultus et
cogitatus regi senui qui est insipiens, et qui non sustinet se amplius ad moneri. Interdum enim accidit vt egrediatur pauper de carcere ad regnandum: et qui ad regnandum natus
est, pauper euadat. Vidi multos viuentes qui sub sole ambulant et hec aura fruuntur, faucutes pueru qui regi in
regno succeſſurus erat, numerus populi et omnium qui
ante eorum vtrumq; fuerunt, infinitus est: et tamen sicut
priorib9 rex molestus fuit, ita etiam posteriores de puero
qui pro eo regnum suscepit non sunt letati. Vidi itaq; quod
hoc quoq; inane quid est et afflictio animi. Custodito pedem
tuum teq; ipsum mundum ac purum seruato cum iturus
es in domum dei, et appropinquato vt dei sermones et eius
mandata audias, illiscq; obedias, magis q̄ vt sacrificiū dem
imbar stultorum, qui peccatis sunt polluti, ignorantium
victimis suis deum irritari potiusq̄ placari.

Melius est modicū quiete quam multa cum nimio labore & animi anxietate.

Ne operã, ne precipitanter et temere aliqd ab ore tuo erumpat, nec cor tuũ celere sit loqui coram deo. Nam quum deus in celo sit, unde omnes cogitationes tuas nedũ facta prospicit, et tu in terra: sint ideo verba tua pauca. Sicut enĩ ex multis cogitationibꝰ et sollicitudinibꝰ atq; curis nascũt insomnia, ita etiã ex multis verbis vox stulti deprehenditur. Quum votum deo voueris, ne moreris nec differas illud reddere: ei enim displicent stulti, et qui promissa non præstant iuxta quod pollicebris, citra cunctationem ac absq; mora reddito. Melius enim est vt nihil voueas, quam vt voueas et nihil præstes. Ad hec, cane quicq; promittas, aut dicas quo corpus tuum culpetur, et in peccatum trahatur, coram angelo quod erroꝛ et peccatum ex ignorantia fuerit et nõ ex voluntate, votum quod vouisti: ne propter vocem et sermonem tuum succenseat tibi deus et manuum tuarum opus disperdat. Vbi enim multa sunt somnia, ibi etiam et vanitates et verba sunt multa: verum tu deum time. Somnia atq; stultitie vim inferri cauere et pertimescere a ditiori et potentiori in provincia videris, ne de hac dei voluntate mireris, nec tibi nouum aliquid esse videatur: Excelsus enim super hunc excelsum hanc iniuriam obseruat, et his quoq; duobus excelsiores et excellentiores eam respiciunt et tempore opportuno vindicabunt. Terre plurima vtilitas et præstantia atq; excellentia in omni re est, et super omnia, etiam rex cui nullus superior est, agri culti gratia, illiq; fit seruꝰ propter victus sui necessitatem: agricultura itaq; omnibus præstat. Qui auarus est et diligit pecuniam, is ea nunq; explebitur, et qui diuitias amore prosequitur, huic neq; prouentus neq; fructus quicq; erit et hoc quoq; inane quid est, mutkle et stultum. Quando crescunt et augentur bona, augentur etiam qui ea comedunt atq; deuorant Quid igitur boni est quasi eorum dominis et possessoribus, nisi vt illis suos pascant oculos? Qui operatur et terram colit, suauiter dormit, etiã suus somnus est dulcis, siue multum et largiter, siue parum et parce comederit.

Salomon hic terra paraphrasim cyram/ laudat agriculturã. Reges etiã antiquit9 agros colebãt et agricole fuerunt / sicq; quodãmodo terre et agri serui fuerũt propter plurimam necessitatẽ illius. Vide. D. kachi in radicibus, in hauad.

Verum diuitis satietas et crapula eum dormire non permittunt. Est et aliud inseciabile malum moztalibus contingens trississimumq; quod vidi in terra. Diuitias videlicet a domino et possessore suo in sui ipsius malum et pernitiem seruatas: peribuntq; diuitie ille in afflictione et cruciatu malo eius qui eas possidebat cuius afflictionis causam ipse prestiterunt: gigneteq; filium et ex eis nihil omnino ille relinquet, neq; quicq; sub eius potestate erit, sed cuncta egestate laborabit. Quemadmodū egressus est ex vtero matris sue nubit, qui diuitias possedebat, ita et in humum reuertetur: vt e mundo eat quemadmodum in illum venit, neq; quicq; prorsus ex laboze suo et cuius diuitiis vel in manu sua secum ferat: hoc etiam inmedicabile malū moztalibus contingit, q; vnusquisq; quemadmodum venit, sic quasi errans abibit: nudus enim in mundum venit, et inde nudus migrabit. Quid igitur ei profuit diuiti q; frustra laborauit, et operam in ventum et inaniter insumpsit, et q; toto vite sue tempore in tenebris comedens delituit, ira et indignatione multa, egritudine et morbis atq; furore misere verat? Hoc itaq; visū est mihi bonum et pulchrum, vt homo comedat ac bibat, et bonis fruatur laboze suo partis, quo se sub sole exercuit numero dierū vite sue quos deus ei dedit, quoniam hec sola merces et pars eius est. Imo quilibet homo cui deus diuitias et opes contulit, potestatemq; ei fecit fruendi illis et partem suam ex ipsis capiendi letandiq; ex laboze suo: hoc deo ferat acceptum et peculiare dei donum esse agnoscat. Is enim parum memor erit temporis incōmodorum vite sue, neq; tristitia aut curis cruciabitur quoniam deus ipse perpetuat letitiam cordis eius: facitq; vt continuo fruatur gaudio.

Caput.6.

Est et hoc quoq; malum quod in terra animaduerti et frequens apud moztales. Deus alicui diuitias, opes, honorē et gloziam tribuit, nihil deniq; ei negat quod animus illius cupit: at postea potestatem ei peripit fruēdi illis, patiturq; vt ab hoste peregrino et barbaro deuorentur. Plane hoc inane quid est et vanum, atq; egritudo animi, mala et misera. Si q̄s genuerit liberos centū, annisq; multis vixerit, ita vt etate prouectior sit: nec

bonis

bonis tamen animus eius expletus fuerit, carnerit demiq; sepultura, illo melioz et mea sententia longe foztunatioz ac beatioz est abortiuus qui lucem non vidit, nec nouit, q; huic quies et otium sit magis q; illi, aut boni ac mali discerni uen. In vanum enim et frustra in hunc mundū venit atq; natus est, et in tenebzis mozietur, tenebziq; nomen eius operietur, neq; vlli erit notum. Etiam si annus ille, non vt Adam pzope mille annos bis mille vixerit, et nihil interim boni aut voluptatis perceperit, nec aliquid posteris reliquerit: ne mozia dignum, quid hoc enim pzodest? Nonne in vnum et eundem locum atq; ad sepulcrum ois homo iturus est, et omnium idem finis erit mozs? Omnis labor hominis uentris sui causa est, et tamen animus eius non potest, semper enim plura cupit. Quid enim plus est sapienti q; stulto, et in quo ille pzestat huic? Quid item plus est pauperi qui sapiens est q; stulto, nisi q; vite et viuentibus futureq; beatitudini occurrere nozit, et illuc ire vbi ipsa est, et vini degunt? Sapientia enim filiis suis vitā inspirant. Melius est videre quod cupis q; habere, q; eius desiderio teneri: et tamen hoc quoq; quod vides, et possides diuitiax inane est, et animum vehementer affligit atq; excruciat. Qui ante fuit nomen suum habuit, notumq; mozitalibus est quod ipse fuit homo talis ac talis, et non deus: nec tamē contendere potuit cum illo qui foztioz eo fuit eiq; aut mozti resistere, sicut nec qui futurus est certare cum illo poterit a quo viribus longe superatur. Quandoquidem et multe res et verba multa vanitatem et stultitiam in hac vita augent: quid vltra vanitatem et stultitiam plus est homini qui se in illis exercuit posteaq; mortuus fuerit? Stultum itaq; est et inane hominem altioza se querere, aut qui post mortem futura sunt inuestigare, cum vniuersa vanitas sit omnis homo, et nemo sit qui cognoscat quid in hac vita bonum est et vtile: quidq; toto hoc flure, fragilis, et inanis vite sue tempore quod velut vmbza celeriter pzeterit ac euanescit, sibi expediat atq; conducat. Quis enim est qui futura (cum homini sint incerta) certo iudicare poterit, quit q; in terra post mozte m suam de rebus suis fiat?

hic interrogatis secunda pzimam soluit.

Ecclesiastici. Cap. 6

Umbze transit est tempꝰ nr̄m. Sap. 2

¶ Caput.7.

Melius

Melius est et pretiosius nomen bonum quam oleū aut vnguentum bonū: nihil enim prestantius q̄ bene audire ab oībus, et non tam corpori vngue tum pretiosum, q̄ grata est alo bona memoria. Certe dies quo quis moritur, diei natiuitatis sue longe pferēda est, tunc enim huius seculi calamitatibus et erūnis non erit obnoxius, nec in incerto vite statu erit et longe melius est vtiliusq; ad domū luctus ire vbi funus est finisq; vite ostenditur humane, quam in domū cōpotationis et cōuiuii. Siquidem in domo luctus vbi funus lugetur, mors, omnium mortalium exitus apparet et finis: quod cum viderit homo viuens ac pūdēs, q illius, et finis sui atq; conditionis et fragilitatis humane recordabitur, cogitabitq; quid de se tandem fiet. Melior tepe est et vtilior severitas vultusq; iratus ac tristis risu: nam cum vultus severus, tristis q grauis erilit, animus plerūq; bonus probus ac vtilis est, non sibi tantum, sed et suis quos amat et corrigere cupit. Et hinc est q sapientum animus in rebus sertis ac tristibus versatur, et de tempore mortis cogitat. Insipientum vero contra, in iocundis atq; ludicris, mortē in memoria nō habēs. Longe melius est et vtilius ei qui sapiens nō est, sapientis increpationem ferre, q̄ blanditiis insipientum deliniri, q̄ p adulationē blandientiū decipi. Arrisus enim et adulatio stulti equē inanis est, atq; crepitus spinarū sub lebete ardentiū, vtrobiq; enī nichil nisi crepitus auditur. Certe hoc quoq; inane quid est, q ieptū. Calūpnia et iniuria grauior ex sapiente stultū facit, stupidū ac insanū, eiusq; pdit cordis vigorē atq; cor et mentē ei a deo datam. Melius est et vtilius finem omnis negocii cermonisq; conclusionem considerare, q̄ principiū: q pacientem ac tardū ad iram esse, q̄ excelsū spiritu q iracūdū aut superbū. Animus itaq; tuus in irā preceps nō ferat, sed primum vt minimum, ire impetum cohibe oīno. Siquidem ira in sinu et alo stultorū quiescit atq; cum eis manet, et quisquis iracitur, arguitur stultitie: iracundus itaq; omnis insipiens est. Noli pristinum malorum pertesus preferre preteritum seculum presenti, neq; dicas (sicut stulti qui dignitate sua delecti sunt) subuersus est mundus: est enim vtriusq; tam presētis q̄ preteriti seculi equalis ratio

Omnis iracundus stultus est.

Hic precipit iram prorsus tolli.

tio, et preteritum suas sane habuit molestias ac mala, equ-
alteq; presens sua: propterea ne dicas nec queras, quid in
causa sit, et quemodo contigit, q̄ priora tempora melio-
ra fuerint q̄ ea que nunc sunt: non enim ex sapientia pre-
scisciture talis questio, imo imprudenter interrogetur, et
stulta est huiusce modi interrogatio. nam tempora codē mo-
do se habent et equaliter atq; ante, et celi revolutiones ac in
fluentia priore more presto eadem perseuerant, nec mutantur,
et si omnes equaliter mortales, qui quotidie alteramur,
eandem sortiantur sortem. Utilior est sapientia et glorio
sior, illustriorq; reddit viuentes, que possidentem et diui-
tias habet suaueras et cum opibus coniuncta est, quam ea
que illis caret: et laudi est ac honorabilior huiusmodi sapi
entia his qui solem vident atq; ad huc supersunt. Quem-
admodum enim defendit sapientia, sic etiam iuuatur pecu-
nia: verum in hoc sapientia pecuniam excellit, illiq; pre-
stat eius cognitio, q̄ ea dños ac possessores suos efficiat vi-
uos ac viuentes illiq; vitam prestat perpetuam. Perpen-
de dei opus ac factum et considera si poterit quis id rectum
facere aut corrigere quod ipse curuum peruersumq; fecit.
In die bona et tempore prospero esto letus ac iocundus et
fruere bonis: at in die mala et aduerso tempore, esto cau-
tus et circumspicito. Et nihilominus tamen hanc ex regione illius deus condidit et alteram alteri oppositit, vi-
cissitudinemq; omnia obnoxia esse voluit, ne quid inueniret
homo post eum, aut quicq; vlterius quereret, quo de eo aut
sua conditione ac creatione iuste conqueri posset, sed tam
mala et aduersa cum euenerint, q̄ prospera ac bona non
egre ferret. Nihil non vidi tempore huius inanis et fuga-
cis vite mee: et quod est iustus qui perit cum sua iustitia et
propter eam: et q̄ est impius qui multo viuit tempore in
malicia et iniquitate sua. Noli esse multum iustus et plus
q̄ equum est: sūmum enim ius summa est iniuria: nec sa-
pientiorem te facito q̄ oportet quamq; decet ac satis est nec
vltra modum. Volo enim vt ne nimium sapias, sed cū mo
destia atq; modo, ne obrupteris et furoris supra modū atq;
te deserti redas et desolati. Noli tanq; exlex q̄ ipse multū
impie agere nec i iniustitia q̄ iniquitate tua peccrās, iniuriā
iniuriq;

Iubet hic vt sapi
entie sua sit cont
tus et si sit paup
nec diuitias que
et circa eas sit s
citus sed ea dūta
q̄ ei sufficere poss
hec Aben ezra.

Contra malū bo
num est, et contr
vitā mors, sic q̄ cō
tra vir iustum pec
catos. Et sic inuen
in ofa opa altissim
duo ctra duo q̄ vn
contra vnum.
Ecclesiastici. 33.

iniurie cumulare r et ne stultus stolidusq; esto, ne moriaris in tempore non tuo et repentina mors te occupet maleq; ac subito pereas. Bonum est et utile, vt iusticiam et sapientiam quis querat, lectetur et apprehendat, ita tamen vt stulticiam, et iniquitatem non prorsus nec in totū deserat, timens aut deum exadet illa ola et superabit aduersa. Sapientia maiori sepe erit robori et adiumento sapienti, q̄ decem potestatem habentes primoresq; ciuitatis. Inter homines enim nullus est adeo in terra iustus, vt bene semp faciat, nec vnq̄ peccet. Cetera si quiete tranquilleq; vine re volueris et sapias, omnibus sermonibus et verbis que tibi ab hominibus et impiis dicentur non auscultabis, ne audias seruum tuum prorsum tibi maledicentem et te execrantem: nam tu tibi quoq; conscius sepe fuisti q̄ ipse etiā aliis maledixeris ac detraxeris. Omnia hec quecūq; dixi, tentaui, expertusq; sum per sapientiam, et apud me dixi, sapiens omnino efficiar, et ipsa tunc sapientia multo remotior a me erat q̄ ante. Quod autem sursum modum profundum ac altū est, et humani ingenii captum transcendit ac excedit: illud quis inuenire potest? Me itaq; et animū meū verti vt quererem inuestigarem et scirem sapientiā et scientiam philosophicam, seu omnium rerum atq; factorū rationem, et vt stulticie iniusticiam, sine iniquam stulticiam et erroris ac insanie stulticia amentesq; insanias cognoscerem. Tumq; inueni ipsam mulierem omni morte amariorem, ipsa enim est hamus, et sagena cor eius, semper enim cogitat quomodo viris rete expandat quo illos capiat, vincula sunt manus illius. Qui apud deum bonus est eiq; gratus et charus effugiet illā et ab ea euadet: qui vero peccator est ab illa capietur. Ecce inquit koheleth vniuersa diligenter euētilans. Hoc est congregatrix, sapientia, vel collectoris sententiarum anima. Hoc inuenire volui, seu illud quesiui, vnam mulierem alteri conferendo, vt rectarum et bonarum numerum aliquem inuenirem, quem adhuc requirere non desinit animus meus, et tamen non inueni: inter mille viros vnum inueni iustum et bonum, at ex toto numero et genere mulierum et inter omnes illas ne vnam quidem. Tantum vidi hoc sedulo querendo et vniuersa diligenter euentilans, inueni q̄ deus hominem fecit rectum

Alta profunditas, quis inuenict eam. Apostolus.

mortalium q̄ naturam rectam iustam atq; bonam condidit
At ipſi, quia libero arbitrio ſunt derelicti, ſe infinitis inmiſ
cuere queſtionibus: querendo de dei operibus, rationes mul
tas ac opiniones varias multa excogitauerūt ſubtilia, ſuoq;
vitio ac ſponte ſua in malum lapſi ſunt: erroribus turbati
prauiſq; opinionibus et cogitationibus ſuis ſeducti, atq; de deo
creatore iniq; conquerentes, q̄ tales fecerit eos: cum opus
eius omnis ſit in fide. Quis ſimilis eſt ſapienti qui inter
pretationem ſermonis et orationis explicationem ſcit, iudi
ciumq; de rebus habet? Sapientia hominis lucet in vultu
eius cumq; modeſtum et humilem minuſq; impudentem et
minus erroganteꝫ efficit.

Ob occurſu fa
cognoſcatur ſēſa
Eccleſiaſtici .j.

Caput .8.

EGo tibi conſulo vt regis os eiuſq; mandatum ob
ſerues et ne in vanum aut falſo per dei nomen
iures. Ne feſtines vt per dei nomen iures. Ne fe
ſtines vt a facie eius abeas ab eoq; aufugias, neq; pmaneas
in vlla re mala, omnia enim que voluerit faciet, in quo
ſermo regis potis non eſt: et quis ei dixerit quare ita facis?
Qui cuſtodit p̄ceptū nō patietur dampnū, nec quicq̄ mali
ſentiet, et tempus et iudicium cognoſcit animus ſapientis
qui omnia cum iudicio et ſuo tempore faciet. Omni enim
negotio et rei quam volueris ſuum eſt tempus opportunum
et ſuum iudicium. Eſt enim hominibus afflictio multa, ge
neriq; humano miſeria magna: quia nemo id cognoſcit q̄d
futurum eſt, cūq; contingat. Quis enim illud pro compto
et p̄ciſe, quando et quemadmodum erit, ei adiudicabit,
aut ea que futura ſunt, ita vt ſūt futura cognoſcere potuit?
Nemo ſpiritum et animam ſuam ita in poteſtate ſua habet
vt cum mortis tempus aduenerit eam retinere poſſit pro
hibereq; quo minꝰ a corpore ſuo quod eiꝰ eſt ergaſtulū exeat,
tunc enim ei nulla eſt vis, e in mortis tempore velit nolit,
vita ab eo fugit, armaq; bellica ei tum non proderunt ſicut
nec diuitie per iniuſtitiam et iniuriam acquiſite duos et poſ
ſeſſores ſuos ſeruabunt. Hoc totum quod ſupra dictum eſt
vidi, et omne opus ec factū quod ſub ſole fit diligentiſſime
tum intuitus atq; obſeruaui tēpuſq; vidi quo homo homini
dominatus eſt non in illius dumtaxat malū qui imperium
ferre compellitur ſed et in quiciem proximam quia accepta

